



HARMONIA QUATUOR EVANGELIORUM,

VEL

Synopsis Vitæ Jesu Christi Chronologico ordine
deducta.

A. M. 3999. Periodi Julianæ 4709. ante Christum
natum A. 2. ante Aeram Vulgarem 5.

Conceptio Joannis Baptistæ.

CUM divinæ providentiæ con-
silio venturo in mundum
Messiæ Præcursor pararetur,
Zachariæ Sacerdoti è fami-
lia Abiæ divinitus renun-
ciatum est, futurum, ut è
conjugæ suæ filium gigneret, cui Joannis
nomen imponeretur. Cum Angeli Gabrie-
lis alloquio lætum nuncium accepit Zacha-
rias, in Sando versabatur, munus suum,
incensum Domino adolendi, implens; sed
cum Angelicis dictis fidem renuisset, ac-
tutum loquendi usu privatus obmutuit (n).
Nec multis ab hinc diebus restituto jam
Zachariæ in domum suam in Hebron, Eli-
sabeth ejus uxor concepit.

n Luc. 5. 11.

A. M. 4000. Per. Jul. 4710. Ante
Aeram Vulg. 4. J. C. 1.
Nuncium de orituro in Mundum
J. C.

Post sex menses Angelus Gabriel co-
ram Mariâ Sponsâ Joseph se sistens,
futuram illam mox parentem Servatoris
Mundi, cui Jesu nomen imponeretur, renun-
ciavit. Mariâ S. Spiritûs operatione
concepit (o); & paulò post è Nazareth
ad consobrinam suam Elisabèth, jam inde
à sex mensibus Præcursore Messîæ fœ-
tam, contendit.

o Luc. 1. 26. 38.

Visitatio.

Ad primam Virginis Mariæ salutatio-
nem Elisabèth in nova gaudia &
exultare ipsa se, & exultare pariter ten-
rum in utero foetum sensit. Namque di-
vino persusa lumine, quantâ dignaretur vi-
sitatione novit, atque vicissim Mariâ to-

ta in gratiarum actiones ad Dominum
conversa, canticum effudit (p).

p Luc. 1. 39. 56.

Joannis Baptistæ Natalitia.

Cum Elisabèth felicibus auspiciis pue-
rum edidisset, cognati ejus omnes
& vicini gratulatum ad illam venerunt,
& octavo jam vertente die, quo pueri
circumcisio decreta, cum ad eam rem de-
stinati venissent ministri, de imponendo
puero nomine disceptatum est. Zachariam
volebant propinqui; sed mater Joannem
præferbat. Requisitus eâ de re Pater, as-
sumpto pugillari scripsit: *Joannes est no-
men ejus*. Statimque linguæ vinculis re-
solutus, ipse Zacharias in laudes Dei effu-
sus, cum divino quodam cæstro subito affla-
retur, extemporale canticum cecinit (q).

q Luc. 1. 57. 79.

Josephi suspicio.

Mariam, post trium mensium in ædi-
bus consobrinæ moram, in Nazareth
remeantem [r], Josephus fœtam depre-
hendit; & cum nullo se maritali com-
mercio nosse uxorem suam sciret, legum
rigore puniendam tradere non tulit ani-
mus, sed clam remittendam cogitabat.
Talia meditant apparuit per quietem An-
gelus Domini, totiusque rei mysterium re-
velavit. Uxorem igitur domi suæ reti-
nuit; quanquam non conjugis, sed tan-
tùm (s) fororis loco haberet.

r Luc. 1. 56.

s Matth. 1. 18. 25.

Jesu Christi nascitur die 25. De-
cembris, Feriâ 5. & 7. mensis
Thebat.

Novem circiter post conceptum Filium
Dei mensibus, Edictum Augustus Im-
pe-

Purificatio Mariæ, die 2. Februa- rii, 7. Sebat juxta Hebraeorum supputationem.

Post 40. à puerperio dies Mariâ stato pu-
rificationis tempore è Bethleem Jero-
solymam se contulit, quò Filium suum in
Templo coram Domino, & victimas à Lege
sœnitis post puerperium præscriptas offer-
ret. Simeon vir grandævus Spiritu S. af-
flatus, eum eadem ipsâ horâ ad Templum
se contulisset, manibus suis excipiens
puerum gratias egit Deo quàm maximas
de tam insigni accepto beneficio, ut sci-
licet tandiu sibi vitæ usuram indulgisset,
quousque Servatorem Mundi & spem Is-
raelis suisinet oculis aspiceret. Tum ad
matrem conversus, futurum prænuceavit,
ut ejus cor intimo doloris sensu premeret-
ur, ejusque Filium offendiculo & resur-
rectioni multorum esset. Versabatur pa-
riter in Templo vidua sanctissima, Anna,
filia Phanneel, quæ de visis à se rebus
hæc omnibus in laudes Dei effusa est; undè
pariter rerum earum fama per totum Israe-
lem increbuit (z).

t Luc. 2. 1. 7.

Pastores Infantem adoraturi ve- niunt.

Vix in Bethleem nato Jesu, Angelus
Domini lætum ejus rei nuncium ad
Pastores in vicinis versantes, & excu-
bias nocturnas in gregem agentes, detu-
lit. Nec mora, illi ad locum convolan-
tes, Mariam, Josephum, & Infantem in
præsepio positum invenerunt. Visa à se
omnia obvisis quibusque narrabant, quod
omnibus, ad quos rei fama pervenit, admi-
rationi fuit & stupori (u).

u Luc. 2. 8. 20.

A. M. 4001. Per. Jul. 4711. J. C.
1. ante Aeram Vulg. 3.
Circumciditur feriâ 5. & 1. Janua-
rii, 14. Thebat. A Magis ado-
ratur.

Octo diebus natum puerum circumcisio-
ne initiandum, Jesu nomine, Angeli-
câ visione præmoniti parentes appella-
runt (x).

x Luc. 2. 21.

Post aliquod temporis Magi ductu stel-
læ, quam sub ipsâ Jesu natalia specta-
rant, ex Oriente Jerosolymam venerunt.
Ad primum eorum adventum conturbati
omnes, cum maximè ejus rei gratiâ ve-
nissent, adorandi nempe recens nati Ju-
daeorum Regis, cujus viderant in Orien-
te stellam, audire. Herodes, qui tunc va-
letudine affectâ Jericho versabatur, accitis
ad se Sacerdotibus quæsit, eequem lo-
cum Messîæ patriam futurum dūcebant.
Illis Bethleem designantibus, Rex aditum
vocos ad se clam Magos ire jussit ad
Regem, & eum invenissent, renunciare.
statim, quò & ipse pariter adoratum ve-
niret. Digressi igitur Magi iterum stellam
prius in Oriente visam iter Bethleem si-
gnantem spectarunt; quæ cum supra pue-
ri contubernium se sisset, eo indicio Magi
locum ingressi, puerum noverunt, agni-
tumque quâ corporis obsequio, quâ mu-
nerum oblatione adorarunt. Succedente
autem nocte, ab Angelo per quietem admo-
niti, ne unquam committerent, ut ad He-
rodem regrederentur, per aliam viam ad
propria remearunt (y).

y Matth. 2. 1. 11.

Fuga in Ægyptum, 3. Februarii.

z Luc. 2. 22. 38.

Secundùm hæc ambo Conjuges ad pro-
pria jam remeantur, ab Angelo per quietem
à Josepho viso jussi sunt, puerum in
Ægyptum deducere, quò furorem Hero-
dis in necem illum mox quæsituri declina-
rent. Paruit Josephus, atque iter Ægy-
ptum versùs inivit (a).

Innocentium cades. Josephus Ju- daam repetit die 2. Aprilis cir- citer.

a Matth. 2. 13. 15.

Cum Herodes illatum se à Magis in-
tellexeret, suisque rebus vehementer
timeret, metuens, ne tandem à novo Re-
ge è Regno extorris ageretur, missâ in
Bethleem satellitum manu, trucidari ma-
res omnes à biennio & infra in Urbe ejus-
que finibus jussit (b).

b Matth. 2. 16. 18.

Post eam eadem quinque vel sex die-
bus Herode fatiis functo, Archelaus ejus fi-
lius regnavit; & Josephus Angeli moni-
tu, post mensem fortassè, in Judæam re-
ducere puerum jussus est. Divertit autem
in Nazareth Urbem Galilææ, ubi Jesus
Christus usque ad annum 30. ætæ vulgaris,
ætatis verò 33. motus est.

A. M. 4012. Per. Jul. 4722. Era Vulg. 9. J. C. 12. Iter Jesu Jerosolymam, 30. & 31. Martii, 15. & 16. Nisam.

Uodennis Jesus unâ cum Parentibus Jerosolymam ad Festum Paschale se contulit. Impletis Legis jussionibus Josephus & Maria regressi sunt, rati que redire pariter Jesum in comitatu parentum sive amicorum, nihil de eo requirentes unius diei iter confererunt. Sed cum vesperti filium quarentes non invenissent, aditum Jerosolymam repetierunt, quâsitumque invenerunt in Templo inter medios Doctores assidentem, percontantem, audientemque quâcumque ab illis dicerentur. Sollicitudinem eâ de re suam Filio parentes significaverunt; illisque querentibus, respondit Jesus, nosse illos debuisse, nisi in Templo Patris Filium reperituros. Secundum hæc Nazareth cum parentibus repetens in eorum obsequiis perseveravit (c).

c Luc. 2. 42. 52.

A. M. 4032. Per. Jul. 4742. J. C. 31. Era Vulgaris 38.

Joannes Baptista predicationem suam auspiciatur A. J. C. 31. Era Vulg. 28. Joannis Baptista 32.

Joannes Zachariæ filius post exactam usque ad 32. ætatis annum in deserto vitam ad Jordanem exiens, Baptismi penitentis predicationem exorsus est, & ad eum ex omni latè adjacenti regione factus concursus Baptismum postulantium, tum & criminum suorum exomologesum facientium. Verba ad illos faciebat gravia, vehementique sermone adhortabatur nullius personam respiciens; denunciabat ad radicem jam arboris securim positam, & nisi promptâ respicientiâ Deum sibi redderent propitium, futurum, ut brevi gravem in se ejus ultionem experirentur. Plura milites docebat, Publicanos, Phariseos, Sadducæos, & neminem tandem, qui ad ipsum veniret, monitis vacuum remittebat. Vitam agebat frugi oppidò & austeram; folis quippè locustis & melle sylvestri victans, vesique utens ex cameli setis contextâ, quam pellicea zona adstringebat (d).

d Matth. 3. 1. 10. Marc. 1. 2. 6. Luc. 3. 1. 14.

Joannes Baptista Jesum Christum verum Messiam agnoscit.

Cum singularis vitæ genere, datisque præclaris virtutis exemplis Joannes emerit plurimum, succurrit pluribus suspicio, num Messia, qui venturus expectabatur, personam gereret & officium. Sed ille hæc à se opinionem depulit, alium se à Messia esse professus; venisse autem, ut aquæ baptismate initiatum populum, tum ad penitentiam disponderet, cum alteri

venturo recipiendo compararet; alteri, inquam, cui ipse & fortitudine & dignitate multo concedens, ne solvere quidem ejus corrigiam calceamenti sibi sumpsisset. Hunc autem scirent baptismum in Spiritu S. & igne collaturum; ventilabrum in manibus tenere, illud repurgandæ aeræ fuz paleisque flammis tradendis in promptu jam paratumque versantem.

A. M. 4033. Per. Jul. 4743. J. C. 33. Era Vul. 30.

Jesus Christus baptismate Joannis tingitur.

EX omni latè regione concursu factio ad Joannem, venit inter ceteros è Galilæa Jesus; quem à se baptismam postulantem removit Joannes, se potius ab eo baptizandum esse professus. Sed instanti Jesu à se justitiam omnem implendam esse dicitanti, tandem alter acquiescens, Baptismate Dei Filium initiavit. Ascendente ex aquis Jesu, atque orationi instanti Cælo continuò dehiscente, S. Spiritus in columbæ formam advolavit, auditaque simul vox dicentis; Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (e).

e Matth. 3. 13. 17. Marc. 1. 9. 11. Luc. 3. 21. 22.

Jesus in desertum se confert.

Initiatus baptismate Jesus dum Nazareth repeteret, subito à Spiritu in desertum raptus est, ut ibi cum tentatore ludaretur. Post continuatum eo loci 40. dierum toridemque noctium jejunium, esuriens, tandem obvium habuit malum illum Spiritum, à quo lapides oblatos ut in panes verteret, sollicitabatur. Repulit ille, dicens, non in solo pane vitam homines tolerare, sed omnia alendo homini sufficere, quæ à Deo in cibum præbentur. Tum in summam altissimi montis cacumen à Dæmone raptus, Regna terræ universa ocalis subiecta spectavit, suggerentemque audivit tentatorem, hæc omnia ab illo in sui potestatem tradenda, si pronus ipsum eundem Dæmonem adoraret. Cui Jesus: Scriptum est, ait, Dominum Deum tuum adorabis. Tandem supra Templi pinnaculum ab ipso Dæmone constitutus est, provocatusque ut precipitem se daret, futurum enim dicebat, ut ruentem Angeli manibus exciperent, ne quidquam laderetur. Cui iterum Jesus: Scriptum est, ait, Non tentabis Dominum Deum tuum. Proripuit itaque se Demon ab eo usque ad tempus; & continuò accurrentes Angeli allatis cibis esurientem refecerunt (f).

f Matth. 4. 1. 11. Marc. 1. 12. Luc. 4. 1. 13.

Judeorum ad S. Joannem legatio.

Cum S. Joannes Baptista desertis Judææ, ubi prius baptismum conferebat, relicto, in Bethaniam Urbem Transjordanam se contulisse, instruendis batizandisque

que populis operam dabat. Cum autem prædicationum illius longè latequè fama propagaretur, Sacerdotum & Levitarum ab optimatibus missa legatio illum convenit, num Christus esset, sciscitatura. Negavit ille; professus se neque Christum, neque Eliam, neque tandem Prophetam fuisse, instantibusque Legatis eoque tandem se diceret; respondit, Vocem esse se clamantis in deserto: Parate viam Domino. Adjecit, se quidem aquâ baptizare; quem vero ipsi quærerent, in cœtu suo, (g) incognitum tamen, illos habere.

g Joan. 1. 19. 28.

Joannes Jesum Christum iterum Messiam agnoscit.

MAnè alterius diei Joannes, cum fortè ad se venientem Jesum vidisset, populo indicavit, dicens, hunc esse Dei Agnum, qui criminibus Mundi tollendis venisset. Adjecit ipsum esse, cujus venturi testimonium ipsemet Joannes perhibuisset; à quo etiam dignitate superaretur; Facie quidem illum nunquam se nosse; sed divinitus admonitum fuisse, eum, supra quem descendente S. Spiritum videret, ipsum esse Dei Filium sciret; vidisse autem se Dei Spiritum super hunc hominem illabentem (h).

h Joan. 1. 29. 34.

Joannes tertio confitetur J. C. SS. Andreas & Petrus vocantur.

Alterâ die Joannes pertransigentem Jesum videns, duobus Discipulis suis digito illum indicans, ait: Ecce Agnus Dei. Quare duo illi Discipuli ad Jesum divergentes illius ædes petierunt, totaque apud ipsum die commorati sunt. Post quatuor à meridie horas Andreas fratrem suum Simonem ad Jesum adduxit, cui Jesus: Tu es Simon filius Jonæ, adjectique, post hæc Cephas i. e. petra appellandum (i).

i Joan. 1. 35. 44.

Jesus petit Nazareth: Pphilippus & Nathanael vocantur.

MAnè alterius diei Jesus in Nazareth Galilææ redux, Philippum fortè offendens, ut sibi comes accederet invitavit. Paruit Philippus; & cum fortè in Nathanaelem incidisset, unâ secum Jesum sequi, quippè qui Propheta esset à Moyse & Prophetis annunciatum, persuasit. Cui Nathanael vix persuaderi se dixit, boni aliquid à Nazareth sperari potuisse. Tum Philippus, veniret ipse & experimento probaret, respondit. Vix autem viso Nathanaele Jesus: Ecce, ait, verus Israelita, in quo dolus non est. Miranti Nathanaeli se à viro agnitum, iterum Jesus significavit, vidisse se illum sub ficu, antequam à Philippo appellaretur. His auditis Nathanael experimento probare se ait, ipsum eundem Jesum Filium esse Dei, & Regem Israelis. Majora expectare Jesus denunciavit; addens, oculatum testem

spectaturum, cum Cœli dehiscerent, & Angeli Domini in obsequium Filii hominis descenderent (k).

k Joan. 1. 45. 52.

Nuptia in Cana Galilææ. Primum Jesu Christi prodigium.

Post tres à relicta Bethania sive Bethabara dies, Jesus cum Discipulis suis & Matre ad nuptias invitatus, se contulit. Vini penuriam admonitus à Matre, sex hydriis aquâ oppletis in vinum transmutatis, abundè supplevit. Quo primo post susceptam missionem suam prodigio Jesus inclaruit (l).

l Joan. 2. 12. 25.

Jesus primò Capharnaum, inde Jerusalem ad Festum Paschæ divertit. Primum Pascha J. C. post predicationem suam.

Post cæremoniam nuptiarum, quæ intra septimanæ spatium plerumque claudatur, Jesus Capharnaum Urbem ad mare Tiberiadis divertit, ubi & paucis diebus cum Matre & discipulis suis stetit. Venit inde Jerusalem occasione Festi Paschalis, post Baptismum suum primi. In Templum ingressus nummularios inde, peducos & animalia in usum sacrificiorum vendentes, è loco Sancto expulit. Rogatusque qua id præfaret autoritate, respondit: Destruite Templum hoc, & tribus diebus reedificabo illud. Quæ ille de interitu & reparatione corporis sui usurpabat. Illis autem claruit eâ occasione prodigiis, ut pluribus persuaderet; quibus tamen credendum se Jesus minimè censuit (m).

m Joan. 3. 1. 21.

Nicodemus Jesum Christum convenit.

EX Optimatibus Judæorum quidam, Nicodemus nomine, subsistentem adhuc Jerosolymis Jesum convenit, significans, credere se nunquam fieri potuisse, quin tanta pollens prodigiorum virtute sine Deo esset. Cum illo Jesus plura differuit de regeneratione, & baptismate S. Spiritus & aquæ; quæ tamen alterius captum excedebant. Adjecit insuper, è Cœlo descendisse se; lumen esse Mundi, ac tandem Filium Dei (n).

n Joan. 3. 1. 22.

Jesus in Judæam veniens Baptismum administrat.

Paschali festo Jerosolymis celebrato, actaque ibi bidui morâ, digressus Jesus in Judæam se contulit, ubi ministrando baptismati unâ cum Discipulis suis occupabatur (o).

o Joan. 3. 22.